

4
jucundè removet. Quid igitur, ad insultus adèdè timendæ luis præcavendos tutius, omnium temperiei accommodatius, Abbavillæo fonte indicari potest.

V.

OBJICIES fortè, febris nostræ causis gratis annumeratam fuisse fibrarum atoniam, fontis martiali principio medicabilem. Plethoricorum & benè valentium, quos illæsis causariis, ferit epidemica lues, exemplo fretus, causam ejus continentem à fibrarum rigiditate auctâ potius, quàm destructâ deduces: proindeque aquâ chalibeatâ accersendam potius, quàm prævertendam probare tentabis. Ast nodum solvere non arduum est: eò major ad sanitatis integritatem in solidis vis requiritur, quò major liquidi movendi moles: hinc juxta divini Senis effatum, *bene habita athletarum valetudo ad summum progressa, ubi ad plenitudinis statum pervenerit, lubrica est.* Athletici corporis laxa fibras; fluidorum pondere corrueat obrutum. Hinc lassitudines spontaneæ, jactationes, anxietates, sudores à laxatis vasorum tunicis, febris nostræ symptomatum choræas duxerunt. Sed instas, illius sævitiam effugiunt causarii: esto, minimè tamen ad fibrarum laxitatem eorum salutem referas; sed potius attendas ad Vappidos quos in vasis alunt liquores; spiritibus destituuntur; paucillum quo ditantur sulphure, phlegmatis gurgite immersum, eos à rarefactione tutos præstat & immunes. Talis hypochondriacorum, cachecticorum frequens observatur diathesis. Felices igitur Abbavillæi, quorum mœnia, fontis, auro peruviano contra non mutandi, scaturiginem recondunt: hujus ad aquas certatim properent; achillæam securitatem, contra reformidatam urbi luem confidenter hauriant; earumque potu incolumes servati, nobiscum læti concludent

Ergo febris Exanthematica, Abbavillæis la Maladie, aquæ minerales Abbavillæa prophylacticum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. HENRICUS-JOSEPHUS BERNARD, Professor Anton.

M. PETRUS JOSNET, Professor Antonianus & Decanus, Præses.


M. HENRICUS MACQUART, Professor Scholarum.

M. THOMAS LARBRE, Professor Scholarum.

M. LUDOVICUS-HYERONIMUS RAUSSIN, Professor Scholarum.

Proponat Remis JOANNES-RAPTISTA BOULLON, Abbavillæus, Facultatis Medicæ Remensis Baccalaureus, A. R. S. H. M. D. XLVIII.

PRO LICENTIATU.



NOBILISSIMO D. DOMINO
LUDOVICO JOANNI LEVESQUE,

TOPARCHÆ DE POUILLY, BOUILLY ET ARCY LE PONSART,

PRÆTORI URBANO:

CELEBERRIMO SENATUI, POPULOQUE REMENSI

SUPRA MODUM FIDELISSIMO

DEDICAT, VOVET, ET OFFERT

OBSEQUENTISSIMUS HENRICUS NINNIN, S. F. M. R. B.

QUÆSTIO MEDICA.

*Cardinalitius agitata Disputationibus in Antonianis Medicorum Remensium Scholis;
die Lune 7. Julii, horâ octavâ matutinâ.*

M. HENRICO MACQUART, Professore Scholarum, Præsides.

An Vidula salubris?

I.



T primævus homini, ita saluberrimus potus, aqua; quæ nusquam quidem non reperitur; nulli aut animantium aut vegetantium generi non accommodata. Abit in sublime, ætheraque occupat; unde decidua, omnibus fere quæ terra gignit, causa est. Hinc sobolescent femina, crescent plantæ, virent, fructuant.

secum affert animali œconomiae commoda; sic plurius corporibus nostris offensae, ex potu deterioris aquae imminent. Quisquis es, si uis, finitimus amans, cave ne tibi temerè & inconsultò potui sit aqua quælibet. Sua est natura est, suum ingenium; unde effectuum ratio, etiam maximè diversa. Sunt aliae minerales, aliae simplices. Male priores in calidas & frigidas à quibusdam dividuntur; neque enim sua ipsis, à calore adventitio, aut frigore virtus inest; sed à variis tenuis, aut salinis, aut sulphureis, metallicisve, quibus sciantur principiis, potestatem suam, & vim omnem trahunt. Simplicis inter, id est quarum naturae, peregrini generis minimum in rebus, corporis saluti est aqua fluens accommodatissima, (pluvialis enim post habemus) e montibus oriunda, si per saxa præceps devolvitur. Fluenti proximè, in nono licet intervallo, accedit Fontana. Tertia Putealis, cujus indoles varia, pro variis in quo putei foduntur, naturâ. Deterrima Pluistris, quæ pigro lapsu repit; pestilens quæ in palude semper immota, & iners consistit. At inter salubres aquas, saluberrimas agnoscere, hæc norma cunctis est: non enim potui æquè probabilem aquam, omnis volvit fluvius. Hanc optimam dicimus, quæ tenuis erit, levissima; coloris, odoris, saporis, prorsus experta; in vase æneo nitido sparsa, maculam non duxerit; quæ lebetes cocta, fabuli quàm minimum, limive, aut alienæ cui uslibet materiei reliquerit; quæ citò calefiat, caloremque citò remittat: quæ tandem legumina celerrimè excoguat, solvat saponem facillimè, solumque teneat diutius.

II.

AQUAM simplicissimam, merè elementariam, ab omni alienâ materie defœcatissimam fingere animo licet; assequi re ipsa, neutiquam possibile est. Phoenix alter, quem nulli hominum hætenus reperire datum fuit. Pluvialis aqua, ut ut omnium purissima à multis decantetur, ab elementariâ tamen simplicitate absit longissimè; contaminata omni corporum genere, per aëra huc illuc oberrantiam: tam diversa in se habens naturarum contagia, quàm variæ & diversæ animalium, vegetantium, mineraliumque partes volvant, quas è telluris superficie avulsas, in atmosphæram solis calor evehit. Et verè numerosissima animalium ova, plantarum, algæ scilicet viridis, fungorum, muscorumque seminula, cum imbre deferri, plurima invictè demonstrant experimenta: comperitque aliunde est, si llatitium è cœlo imbrem campo exceptum aperto, asservatum vase nitidissimo, accuratissimèque clauso, brevè exilibus albis respersi maculis, quæ majores factæ sensim, opacioresque, in tenuem, lentum, tenacem mucum concreverunt; unde quiete & morâ iste liquor intolerabilem vappæ mucilaginosæ saporem sæpius refert. Ille etiam qui cum tonitru cadit, halitu terræ infectus, vermibus scatere sæpè visus est. Quid igitur damni non imminet, si in cisternis per menses & annos, ut sit, asservetur & magis ac magis putrescat. Pluviarum soboles, pluviali nequaquam præstat aqua è fontibus oriunda, quæ iisdem vaporibus polluta, originis vitium semper retinet; & præterea dum sub terras manat, solubilesque materias abluat secum, ex terrenâ contagione, novum peregrinationis vitium sibi induit. Puteali quid immoror? quæ unanimi omnium consensu, tanquam restagnans & cruda damnatur meritò; ex omnibus ferè latrinis, cloacisque exsudans lixivium, ed pejus & foedius, quò populosâ magis in urbe, putei excavantur. Ergo fluentis aquæ honor præcipuus esto, & usus; quæ dum cursu recursum trepidat, exerceturque ad silices incussa, perficitur sensim labore suo; & quidquid peregrini habet aut sinistri vaporis, detergit sibi. His adde aëris vim, cui obnoxia maximè est, & solis ipsius calorem impressum, quo subacta, & concocta, purissima & saluberrima evadit.

III.

BEATOS igitur incolas earum regionum, quibus puram, & salubrem benigno proventu aquam fluvius advolvit. Tali nunc munere dives, beneficio civis egregii, qui Dei templa decorare, & suos cives omni genere bonorum amabat cumulare, exultat Remorum civitas, Campaniæ totius decus & ornamentum; cujus ager aëris & aquarum salubritate felix, fructuum dulcedine & copiâ nulli secundus. Ipsâ in regionis parte saluberrimâ, mediâ scilicet in valle, urbs condita sedet, clivo miti, ad Orientem & Meridiem paulatim intumescente; ut neque hibernis torpeat pruinis, neque æstivis uratur vaporibus. Ab urbe non longinquo tramite semoti montes assurgunt, circa quos nihil vite prius severis: quæ enim vina hoc solo gignuntur, omnibus aliis palmam facile præripiunt, quippe quibus nulla sint aut palato jucundiora, aut salubriora corporibus. Non ex vinis solum genti divitiæ & honores crescunt. Remorum industria in textendis, tingendisve velleribus, quæ Tyrii coloribus minimè invident, mirantur exteræ nationes. Quod munus egregium *Vidula* acceptum referendum est, & habendum tanquam dexterum & felix omen, quo benigna humanoque corpori accommodata aquarum indoles & salubritas portenditur. Non omni tamen parte salubris æquè *Vidula* est; scilicet per stagnum *Sillerianum* eluctatus iter, in duas partes tribuitur: quæ pars, immutato nomine, ad Septentrionem tacitè repit, à dotibus nativis prata inter paludosa degenerans, habet undè meritò repudietur. Pars altera quæ per canalem libero & expedito cursu fluit, flumenque vulgè *novum* audit, ceteris omnibus Remorum aquis præstat longissimè. Tum ferreis tubis supra muros evecta, & civitate quasi donata, quæ non civibus præmia referet, quæ non avertet incommoda? siccitatem & calorem humidi & frigidi gratâ vice, per urbem, huc illuc means temperabit; immunditiarum sordes abluat, impuriorem spiritum repellat, nocentesque gravioris cœli halitus; sanis potum saluberrimum; ægris certissimum præsidium, omnibus denique probatissimum viæ laticis usum profundet.

IV.

DUO sunt potissimum, quibus cuiuslibet aquæ salubritas & bona indoles, certè digrosce possunt. Experimenta nempe chymica, & usus. Experimenta aquarum naturam, quæ sit, designant; usus, sitne natura isthæc humano corpori conveniens necne, indigitat. Hoc argumento duplici comprobatur, & salubrem *Vidulam* esse, & cæteris Remorum aquis longè præstabilem. Vir Clarissimus, quo non alter prudentior, seu corporum principia inspicere, seu mixturis salium deprehendere aquarum naturas, (a) D. GEOFFROY, *Vidula* puritatem, præstantissimamque naturam variis tentavit modis, quorum nullus ei, non feliciter cessit. Canalis *Sillerianus* aqua, salibus alcalinis affusa, maculam vix ullam facit; non saponem in grumos præcipitem dat, sed penitus & more sequanicæ ipsius aquæ, resolvit. Nec sedimenti plus, aut igne vaporata, aut cum liquoribus alcalinis permixta relinquit. Fidem & pondere & mollitie simillima; & ex liquorum miscelâ, eisdem omnino affectus trahens. Suus ergo *Vidula* restituitur honos; nec jam eum ipso ceteret *Sacra* lympha, non sat proutenter hætenus apud Remos ventilata tanquam omnium, quæ in promptu sint civibus, maximè probabilis. Siccitate & acerbitate quâdam sequanicæ assuetos potatores afficit; oleo tartari inimixta obscuratur, infusatur maculis, substantiæque seleniticæ non parum deprimit. Saponem ægrè magis solvit; & mole æquali *Vidula* comparata, bilancem gravior premit. Sed quid arguimus ratione, cum luculentissimè sit uti-

(a) D. Geoffroy, Reg. Scient. Acad. Paris. Socius.

ipso & experientia comprobatus *Vidula* potus. Quam pura, quam sincera, quam corporis salutis accommodata, *canalis* aqua sit, clamant qui jampridem eam utuntur vici San-Remigiani incolae; & qui morbis, quos puteales inferunt aquae, minus ac minus vexantur. Quo manifestum hanc aquam potui convenientissimam esse; nullaque aliena, quae damnosa sit, materie inquinari.

V.

CUM tot & tam certa rerum experimenta, *canalis* aquae salubritatem & praestantiam castruant, cadit & sponte rescinditur, quidquid contra objici posset. Suspecta bona sua non habeant Remi. Purus est, omnique insidiarum dolo carens ille liquor. Medio quidem in *canali* haustus, luti quendam saporem refert; sed per alveum purum, silicibus passim & arenulis instratum fluens; verbereque machinae attollentis jactatus, ferreos inter tubos attritus, eum odorem certissime exuet; & si forte quidpiam ingrati saporis, hac arte elaboratus retineat; in vasis fictilibus servetur, & intra exiguum temporis spatium, inodor prorsus & electo purior evadet. Hac cautione, non est quod à lacu *Silleriano* quidpiam vitii metuant potatores *Vidula*; quippe cum nec consistens uspiam hareat, sed jugi & irrequieto cursu exerceatur. Non haec aqua, ut putealis, liquores coagulando, homines enecabit; non scirrhus, non strumas, foedum morbi genus quod miserè plebem Remensem nonnunquam afflixit, inferet; non malignos & edaces generabit cancos: sed palato pariter amica & ventriculo appetitum cibi excitabit, & promovebit; partes alimentorum salinas resolvet, mucosas diluet, acres demulcebit, subipet gummosas; alvum blandè laxabit, leniet & emendabit nimium bilis amarorem; aestuantis sanguinis compescet motus; debitam cunctis humoribus fluiditatem, solidis flexilitatem conciliabit requisitam. Singula quid referam, nihil non laudabile praestabit; tenuissimoque humani corporis tubulos liberè permeans, sanitatem servabit diu praesentem, amissamque citò reparabit.

Ergo Vidula salubris.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. HENRICUS-JOSEPHUS BERNARD, Professor Anton.

M. PETRUS JOSNET, Professor Antonianus & Decanus.

M. HENRICUS MACQUART, Professor Scholarum, Praeses.

M. THOMAS LARBRE, Professor Scholarum.

M. LUDOVICUS-HYERONIMUS RAUSSIN, Professor Scholarum.

Proponebat Remis HENRICUS NINNIN, Remensis, Majoris Ordinis Baccalaureus, A. R. S. H. M. DCC. XLIX.

PRO LICENTIATU.

Ex Typis N. PIERARD, Facultatis Medicinae Typographi.

DEO OPTIMO MAX. ^{QU} ^U ^H

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUESTIO MEDICA,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis quarto mensis
Decembris, Anno Domini M. DCC. XLIX.

M. LAURENTIO FERRET, Doctore Medico, Praeside.

An in acutis diata è solis vegetantibus?

I.



QUI velociter, & cum aegrotantis periculo decurrunt morbi, vulgò acuti nuncupantur. Huc pariter referuntur, & vehementissimæ illæ febres quæ totum corpus miserè depascuntur, & illæ quæ, in aliquam corporis partem saviente morbo, nunc pleuritidem, nunc peripneumoniam, nunc alios inflammatorios comitantur affectus. Cum porrò tantam œconomia animalis labem inferant, cum immanibus aded totam subvertant sanitatem symptomatibus, acrior contra insurgit natura, & obstantia validius impellit repagula. Hinc nunquam aliàs naturæ cum morbo lucta vividior. In chronicis verò natura debilioribus armis instructa, materiae morbificæ coctioni impar evadit, aut eam tantummodò lentis attenuat ictibus, quam in acutis, viribus in unam dimicationem collectis, eodem impetu proterit. Si in acutis quibusdam, ut soporosis affectibus, vivida hæc non deprehendas naturæ conamina, majus inde horum meritò deduxeris periculum. Sic, notante Hippocrate (a), apoplectici intrà septem dies intereunt, nisi febris eos prehenderit. Cum ergò præcipuæ sint in sanandis acutis affectibus naturæ partes, satis patet quantum in viribus conservandis, quantum in accurato diatæ regimine operæ sit impendendum. Solà scilicet diatâ plurimos morbos, eosque maximos vinci posse scribit Hippocrates. Ne te igitur Aesclepiadis error decipiat, qui vires ægrorum fame sitique convellendas imperat, infirmiora viscera pleniori cibo postea obruens. Tenuem semper & humidum febricitanti cuicumque, at ab initio pleniorum, in statu & exacerbationibus tenuissimum, in declinatione sensim adauctum victum, cum Hippocrate aegrotantibus exhibendum jube. Dum scilicet in exsuperante materia morbificâ debellandâ vires occupantur, de cibo detrahendum. Quò plus virium, minus morbi superest, eò plus alendum, & contra. In definiendâ tamen ciborum quantitate, morbi diurnitatis, ægrorum ætatis, temperiei, & consuetudinis habenda ratio. Si verò rectam ciborum inquirenti quantitatem, tot sint observandæ cautiones, momenti sanè multò majoris, altiori que digna indagine qualitas in iisdem requisita. Ad cujus notitiam solus ille perveniet, qui prius in hisce morbis statum corporis, & humorum diathesim sedulò perpenderit.

I I.

PUTREDINEM latè in omnibus morbis acutis dominari, paululùm sive eorum causas, sive etiam effectus perscrutando, facilè detexeris. Sæpe enim putridum forma, à stagnanti in ventriculo saburrâ absorptum, omnem sanguinis massam infecit, & subitâ labe per omne corpus diffusâ, totam contaminavit œconomiam animale. Interdum per aëra vagatur, & afflatu putrido urbibus sæpe & regionibus pestilentiales febres, & omne putridorum morborum genus invehit. At sæpius à calido humidoque

A

(a) 2. De morbis. It. aph. 51. Sect. VI.